

buerunt scriptores. Vnde Seneca, Primus Clau-
dius devicisse Britannos gloriari potuit, Iulus enim Cæsar
ostendit eos Romanis tantum. Et alibi de eodem.

Ille Britannos
Ultra noti
Littora ponti,
Et cœruleos
Scuta Brigantes
Dare Romuleis
Colla Catenis
Ius sit, & ipsum
Nova Romana
Iura securis
Tremere Oceanum.

Et in Octavia cecinit Seneca Tragicus de Clau-
dio:

Cuique Britanni
Terga dedere, ducibus nostris
Ante ignoti, jurisque sui.

Et ibidem quod Tamisin transmiserat.

En qui ora Tamisis primus posuit jugum,
Ignota tantis clavis texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit,
Et seva maria, conjugis scelere occidit.

Ægisippus item de Claudio, Testis est Britannia
extra orbem posita, Romanorum virtute in orbem redacta,
quos etas superior ignoravit, didicit Romanorum victoria,
serviunt & ipsi, qui quid esset servitus ignorabant, soli sibi
nati, & semper sibi liberi, quia a superiorum potentia in-
terfuso Oceano secreti metuere non poterant, quos nescie-
bant. Plus itaque transisse ad Britannos, quam triumphasse
de Britannis. Et alibi, Britanniam quoque inter undas
adhuc latentem Romano imperio armis acquisiverat, cuius
triumpho opibus Roma ditior, Claudius consultior, Nero for-
tunatior & astimabantur. Alioque loco, quid dignissi-
mus apponi, In Romanorum nomen elementa etiam
transierunt in quos etiam transiit orbis terrarum, qui Ro-
mano imperio clauditur & definitur: denique a plerisque
Orbis Romanus appellatur. Nam si verum quaramus, terra
ipsa infra Romanorum imperium est, super quam progressa
Romana virtus ultra Oceanum, alterum sibi orbem quasi-
vit, & in Britannia remota a confinio terrarum novam sibi
invenit possessionem. Denique quibus jus non solum civitatis
Romanæ, sed etiam ipsius prope humana conversationis
negatur, illo diriguntur, ut illic habitent, quasi mundi excu-
les. Cessit Oceanus finibus suis, novit Romanus interior a
ejus petere secreta. Iosephus etiam in persona Titi
ad Iudeos, Quis major Oceano murus, atque obstatum?
quo septi Britanni Romanorum tamen arma adorant.

Doctissimi prætereà sed incerti Poëtæ hac de-
re carmina nobilissimus Iosephus Scaliger in suis
Catalectis è situ vindicavit, quæ cum non passim
occurrant, subtexere non pigebit, sunt enim
quantivis pretii. Diversa autem esse Epigramma-
ta, & ideo distinguenda eruditissimus adolescens
I. Obsopæus Germanus ex antiquis membranis
me nuperrime docuit.

*Antonius
trio, a-
is legie
licuit, igi-
tur varias
lectiones
adposuit.
* Prospicit.
* Nunc
erit.*

Ausoniis nunquam tellus violata triumphis,
Icta tuo, Cæsar, fulmine procubuit.
Oceanusque tuas ultra se * respicit aras,
Qui finis mundo est, * non erit imperio.
Victa prius nulli, jamjam spectata triumpho,
Illibata tuos gens jacet in titulos.
Fabula via diu, medioque recondita ponto
Libera victori jam modo colla dedit.
Britannia.

Euphrates Ortus, Rhenus * incluserit Arctos,
Oceanus medium venit in imperium.

* Recluse-
rat.

Liber a non hostem, non passa Britannia Regem,
Aeternum nostro qua procul orbe jacet.
Fœlix ad versis, & sorte oppressa secunda,
Communis nobis, & tibi, Cæsar, erit.

Vltima cingebat Tigris tua, Romule, regna:
Hic tibi finis erat, religiose Numa.
Et tua, Dive, tuum sacrata potentia caelo
Extremum citra constituit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes.
Pars est imperii, terminus ante fuit.

Mars pater, & nostra gentis tutela Quirine,
Et magno positus Cæsar uterque Polo,
Cernitis ignotos Latian sub lege Britannos,
Sol citra nostrum flectitur imperium.
Vltima cesserunt ad aperto claustra Profundo,
Et jam Romano * cingimur Oceano.

* cingitur.

Opponis frusta rapidum Germania Rhenum,
Euphrates prodest nil tibi, Parthe, fugax.
Oceanus jam terga dedit, nec per vius ulli,
Cæsareos fasces, imperiumque tulit.

Illa procul nostro semota, exclusaque caelo,
Alluitur nostra vixta Britannis aqua,
* Semota, & vasto dis juncta Britannia ponto,
Cinctaque in accessis horrida littoribus:
Quam pater invictis Nereus vallaverat undis,
Quam fallax æstu circuit Oceanus.
Brumalem sortita * plagam: qua frigida semper
Præfulget stellis Arctos inocciduis.

* Semora.

Conspectuque tuo devicta Britannia, Cæsar,
Subdidit insueto colla premenda jugo.

* Polum.

Aspice, confundit populos imperia via tellus,
Coniunctum est, quod adhuc orbis, & orbis erat.

Iam pergit Tacitus. Ad hoc tempus prosperis Osto-
rii rebus mox ambiguis, sive quod amoto Caractaco, quasi
debellatum foret, minus intenta apud Romanos militia
fuit, sive hostes miseratione tanti Regis acerius ad ultionem
exarsere, Præfectum castrorum, & legionarias cohortes
extruendis apud Siluras præsidii relictas, circumfundunt.
Ac ni citò vici & castellis proximis subventum foret, co-
pia tum occidione occubuerint. Præfectus tamen & octo
centuriones, ac promptissimus quisque manipulus cedere.
nec multo post pabulantes nostros, ipsaque missas ad sub-
sidium turmas profigant. Tum Ostorius cohortes expedi-
tas exposuit, nec ideo fugam sistebat, ni legiones prælium
excepissent. Earum robore æquata pugna, dein nobis pro
meliore fuit. Effugere hostes tenui damno, quia inclina-
bat dies. Crebra hinc prælia, & sepius in modum latroci-
ni: per saltus, per paludes, ut cuique fors, aut virtus te-
mere provisa; ob iram, ob prædam; jussu & aliquando
ignaris ducibus, ac præcipua Silurum per vicacia, quos ac-
cendebat vulgata imperatoris Ro. vox. ut quondam Su-
gambri excisi, & in Gallias trajecti forent, ita Silurum no-
men penitus extinguendum. Igitur duas auxiliares co-
hortes avaritia præfectorum incautius populantes interce-
pere. Spoliaque & captivos largiendo, ceteras quoque na-
tiones ad defectionem trahebant, cum tadio curarum fe-
sus Ostorius concepit vita, letis hostibus, tanquam ducem
haud spernendum; & si non prælium, at certe bellum
absusisset.

At Cæsar cognita morte legati, ne provincia sine rectore
foret, A. Didium sufficit. Is propere vectus, non tamen inte-

Didius
Avius
Gallus
Proprietor.

Gras